



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio VII. De gratia Christi prout est quidam singularis homo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Prob. 2.

2. Prius naturā fuit corpus humanum, id est perfectē organizatum ad animā receptionē, quā vniretur Verbo; atqui non fuit tale antequam censeretur perfectē dispositum, ergo prius naturā censeretur habuisse vltimam dispositionem quā fuerit Verbo vnitum.

Obiectio.

Dices vt sit perfectē dispositum debet habere substantiam; igitur prius naturā substitit, quā censeretur vltimo & completē dispositum.

Resp. disting.

Resp. disting. anteced. vel enim intelligitur de perfecta dispositione accidentali, de qua in resolutione agimus; & hoc sensu nego anteced. vel intelligitur de qualicunque vltima dispositione, quo sensu concedo. dico tamen eo non obstante ad hoc vt corpus humanum censeretur perfectē dispositum & subsistere vt tale in ordine ad generationem, requirere secundum exigentiam naturalem vltimam dispositionem accidentalem. vbi,

25.

Sensus resolutionis dat.

Notandum nos non velle substantiam materiae perire, & mutari pro dispositionum diuersitate, sed solum quod eadem comparata ad diuersa censeretur prius vel posterius competere. v. g. substantia materia comparata cum vltimis dispositionibus quibus preparatur ad receptionem formae, censeretur posterius competere quā competant huiusmodi dispositiones, quia sine his non potest censi legitime preparata, nec potest censi subsistere vt pars idonea ad alterius partis receptionem. eadem substantia comparata cum iisdem accidentibus vel alijs, quatenus censeretur competere corpori vnito animae tanquam affectiones compositi, prius naturā censeretur competere.

ARTICVLVS VI.

*Virum humana natura sit assumpta
mediante gratia?*

Resp.

Non est assumpta mediante gratia habituali sed mediante gratuitā Dei voluntate.

Hic articulus explicatus est q. 2. art. 10. vbi eadem doctrina a S. Thom. traditur, scilicet non esse assumptam mediante gratia habituali, assumptam tamen mediante gratuitā Dei voluntate.

QVÆSTIO. VII.

*De gratia Christi prout est
quidam singularis homo.*

EXPLICATA ratione & essentia vniuersis hypostatica, D. Tho. incipit explicare quasdam proprietates, quae ratione illius Christo competunt, tum ex parte Verbi, tum ex parte naturae assumptae.

ARTICVLVS I.

*Virum in anima Christi fuerit aliqua
gratia habitualis?*

Resp. affir.

RESPONDET necessario ponendam in Christo gratiam habitualem. probat tribus rationibus.

1. Quāto aliquod receptum magis est coniunctum causae influenti, tantō magis participat de

ipsius influentia; cū ergo anima Christi fuerit Verbo diuino coniunctissima, fuit maximē congruum vt ab eo gratiae habitualis influxum reciperet.

2. Decebat animam Christi Deum attingere per cognitionem & amorem, ad hoc autem necesse est naturam humanam eleuari per gratiam.

3. Gratia debebat ab eo in nos deriuari; ergo oportebat vt anima Christi praeclara esset gratia.

DVBIUM I.

*Virum praecisa gratia habituali humanitas
Christi fuerit sancta?*

NEGANT Paludanus in 3. dist. 15. q. 2. in 4. Dur. sententia, conclusione 1. Dur. dist. 12. q. 2. num. 8. & alij.

Affirmant alij, quā sententiam licet antiqui non ita in terminis expresse sint, multi tamen recentiores expresse tradunt, & censent esse communem Patrum existimantium animam & corpus Christi sanctificari per gratiam vniōis.

Hae sententia est multo verior, quia plurimi Patres quos citant Suarez disput. 18. sect. 1. & Vasquez disput. 41. cap. 3. non incommode possunt in hunc sensum accipi, vt scilicet ipsa natura humana in Christo sit sancta propter vniōem sui ad Verbum & naturam diuinam. & expresse id docent Hilarius & Chrysostomus, quos refert Toletus ad illa verba Ioannis 10. quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphematis, ita vt iuxta illos Patres Christus velit se sanctificatum secundum quod homo, quia per vniōem humanitatis cum Verbo ipsa humanitas summē fuit à Patre sanctificata.

Prob. vltimus conclusio. constat iuxta Patres Christi opera fuisse condigna generi humano redimendo, & nullius purae creaturae opera habuisse huiusmodi condignitatem; ergo ea condignitas in Christi operibus non potuit provenire ab alio quo quod potest esse commune Christo cum alijs iustis, scilicet à gratia habituali, sed debet aliunde provenire: igitur etiam praecisa gratia habituali opera Christi sunt commensura redemptioni generis humani; atqui non possunt esse commensura nisi Christus operans sit sanctus non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem; ergo Christus secundum humanitatem fuit sanctus etiam praecisa gratia habituali.

Prob. 2. humanitas Christi praecisa omni gratia habituali seu accidentali est obiectum diuina dilectionis, & quidem talis vt sit Deo gratior quā omnes iusti simul sumpti. igitur praecisa ea gratia est sancta.

Conseq. prob. non potest esse gratior omnibus iustis, nisi sit illis sanctior, & proinde nisi habeat sanctitatem.

Confir. humanitas Christi etiam absque habituali gratia est consors diuinae naturae longē excellentiori modo quā villa creatura rationalis, igitur est sancta.

Prob. 3. humanitas Christi per id praecipue est commendanda sancta, ratione cuius conuenit illi impeccabilitas, quae iuxta communem sententiam tribuitur Christo & eius humanitati, vt infra ostendetur. sed id cuius ratione Christo tribuitur impeccabilitas, non est gratia habitualis; igitur etiam ea praecisa Christus quia homo sanctus est.

Peters

Petes 1. quā sit certum Christi humanitatem esse sanctam etiam praecisā gratiā habituali, seu dono accidentali creato?

Lorca disp. 36. censet tantum esse probabile. Verum quāvis non existimem esse dogma fidei, ut ostendit idem disp. citata, num. 2. eo quod scripserunt & Patres citari soliti possint aliquo modo explicari, prout facit, sentio tamen esse plusquam probabile, cum si considerentur rationes sancte fundatae in principiis theologicis communiter receptis, videantur reddere conclusionem certam.

Petes 2. per quid sanctificata fuerit natura humana in Christo?

Hac in re est sententiarum varietas, quae forte non est tam in re ipsa quam in modo explicandi.

Aliqui censent fuisse sanctificatam per vnionem hypostaticam, alij per diuinitatem ipsi vnitam, quia natura humana dicitur delibata diuinitate, natura diuina dicitur oleum, quo vncta est humanitas, alij censent naturam humanam fuisse sanctificatam per diuinum suppositum.

Verum ut optime aduertit Suarez disp. citata §. sed quærit, non debet cogitari quod ipsa vnio praecisē sumpta & accepta sine suo termino possit huiusmodi sanctitatem tribuere, sed vt accipitur simul cum termino, scilicet cum Verbo, quemadmodum in alijs modis ipse inhærentie praecisē sumptus non facit hominem iustum, sed gratia inhærens. Vnio ergo potest dici causa talis sanctitatis tamquam conditio, & vt ita dicam, causatio, non vero per modum causae formalis. Verbum diuinum potest dici causa formalis quatenus vnitum naturae humanae, quia verē diuinum Verbum vnitum reddit illam Deo summē dilectam, impossibilem, modo infra explicandam, reddit illam dignam quouis dono supernaturali. quia vero diuinum suppositum non videtur id præstare tam ratione suae personalitatis (siue illa possit tribuere sanctitatem siue non) prout distinguitur a natura, quā ratione suae naturae hinc nō incongrue natura diuina potest dici causa formalis per quam natura humana est sancta. quod patet, quia ipsum diuinum suppositum potissimum est & dicitur sanctum a natura diuina. Ergo si illud possit naturae humanae esse causa sanctitatis, potest etiam dici quod natura diuina eidem sit sanctitatis causa.

Dices 1. naturam diuinam non vniri naturae humanae.

Resp. licet non vnatur immediatē, vniri tamen mediātē, & secundum Concilia & Patres duas naturas in Christo inter se vniri, idque sufficere vt natura diuina mediante supposito censetur respicere naturam humanam & illi esse causa sanctitatis.

Dices 2. vnio naturae diuinæ cum humana non potest facere vt alia attributa diuinæ naturae tribuantur naturae humanae, v.g. dicatur quod natura humana sit omnipotēs, omnisca, sit vbique.

Resp. 1. si argumentum aliquid concluderet, neque dici posse quod diuinum suppositum esset causa sanctificationis naturae humanae, quia suppositum non potest tribuere naturae humanae quod sit vbique, quod sit omnipotēs; & tamen aliqui negantes naturam humanam sanctificari ipsa diuinitate, concedunt sanctificari per diuinum suppositum, vt Lorca disp. citata.

Resp. igitur 2. negando conseq. & dico aliam esse rationem denominationis aliorum attributo-

rum & sanctitatis. omnipotentia enim requirit vt natura quae dicitur omnipotēs, per intrinsecam suam conditionem sese extendat ad omne id quod non repugnat fieri, & proinde illud attributum nō potest in aliquid ab alio deriuari. & ita de alijs proportionibus est discurrendum. sanctitas verō nō solum est physica denominatio & conditio, sed etiam moralis per quam aliquis constituitur obiectum dilectionis, quae conditio potest alicui rei conuenire ab alio cui coniungitur, quia propter huiusmodi coniunctionem sortitur quandam dignitatem, & redditur acceptabilis ad bona supernaturalia.

Conf. à simili. natura humana propter sui coniunctionem cum natura diuina in eodem supposito est digna longē excellentiā adoratione quā si non esset coniuncta, ita vt natura diuina dici possit causa illius excellentiæ, igitur in presenti nihil prohibet quod minus natura humana dicatur sanctificari à diuina.

Dices natura diuina non est intrinsecē in natura humana. igitur non potest illi esse causa sanctitatis. Prob. conseq. causa formalis non videtur tribuere suum effectum formalem nisi intrinsecē afficiendo subiectum.

Conf. iusti non possunt dici sancti à gratia quae illis non inest.

Resp. neg. conseq. & eius probationem, quia etiam datur causa formalis extrinseca, vt patet probabili multorum sententiā in actione quae denominat agens, cum tamen sit in patiente. in rigore ergo vt aliquid denominetur ab alio per modum causae formalis, non requiritur vt illi insit intrinsecē, sed sufficit si vel illi vnatur, vel ordinem dicat ad illud, porro in presenti inuenitur vnio inter naturam humanam & diuinam.

Ad confirmationem Resp. concedendo assumptum; cuius ratio est quod non possumus esse consortes diuinæ naturae participatione accidentali, nisi per formam accidentalem. hæc autem non vnitur nobis, nisi nobis insit & inhæreat, secus verō in presenti accidit; vnde non obstante eo quod natura diuina non insit humanæ in Christo, potest illi esse causa sanctitatis. quemadmodum aliqui dicunt de supposito, quod scilicet non requiratur vt insit naturae humanae, sed sufficiat quod illam terminet.

His omnibus adde quod dici possit naturam humanam non esse formaliter sanctam à diuino supposito, vel natura diuina, sed à conditione quadam morali quae censetur moraliter illam afficere & in illam deriuari eo quod sit natura suppositi infinite sancti, & habentis naturam infinite sanctam, quod suppositum non solum est obiectum diuini amoris, sed potest moralem præstantiam & dignitatem tribuere naturae sibi vnitæ, vt propter huiusmodi dignitatem sit dignissima diuino amore, & bonis quibuscumque supernaturalibus, eiusque operationes sint futura Deo gratissima: secundum quam explicationem causa formalissima sanctitatis in natura humana est moralis illa conditio ei moraliter intrinseca, quae tamen radicaliter provenit à sanctitate diuinæ naturae, per quam suppositum est infinite sanctum.

Ex his patet 1. quod quantumcumque natura humana hypostaticē Deo vnita concipiatur care- re omni accidentali ornamento supernaturali, nihilominus sit futura sanctissima, ita vt repugnet illi assumi & non esse sanctam, & obiectum diuini amoris.

Sanctitas non tantum est physica denominatio, sed etiam moralis, quae potest conuenire rei ratione alterius cui coniungitur. Confir. à simili.

7.

Replica.

Resp.

Vt quid denominetur ab alio per modum causae formalis sufficit si vel illi vnatur vel ordinem dicat ad illud. Ad confir. Resp.

8.

9.

Coroll. 1.

Repugnat naturam assumi & non esse sanctam.

G

Patet 2.

Coroll. 2.

Patet 2. resolutio eius questionis, quam varij proponunt, an scilicet natura ita potuerit assumi, ut in puris naturalibus relinqueretur; patet, inquam, non ita potuisse assumi, 1. quia per ipsam assumptionem est eleuata ad esse personale diuinum, quod est maxime supernaturale, 2. ita est eleuata ut eo ipso praecise fuerit dignissima omni bono supernaturali, etiam si Deus decreuisset nunquam tale donum illi impertiri, potuit tamen assumi sine vilo ornamento accidentali supernaturali superaddito, v. g. habitu gratiae, & relinqui in puris naturalibus quoad operationes, cum huiusmodi accidentia distinguantur re ab vnione, & non dimanent necessario ab ea, imò etiam si physice ab ea prouenirent, non idcirco Deus obligaretur suum concursum ad illa praebere, eo quod naturam humanam sibi vniret.

Explicatur
5. Th.

Nec repugnat S. Th. dicens necesse esse ponere in Christo gratiam habitalem; non enim vult id ita fuisse absolute necessarium, ut aliter fieri non potuerit supposito mysterio Incarnationis, sed necesse accepit ut idem sit quod magis conueniens, quod solum probant rationes ab eo allatae.

Coroll. 3.

Etiam praecisa gratia habituali mereri potuit.

Patet 3. quomodo praecisa etiam gratia habituali Christus mereri potuerit, quia scilicet etiam praecisa ea gratia inuenitur radix & fundamentum propter quod opera humanitatis, seu quae Christus per naturam humanam exercuit, sunt condigna quantumvis magno premio ratione suppositi infinite digni, de quo diximus ad art. questionis 1. imò propter hanc rationem

Coroll. 4.
Etiam per operantia.

Patet 4. quod potuerit mereri per opera naturalia, quia persona infinite digna à qua huiusmodi opera processissent, infinitam vim in ratione meriti potuisset tribuere operibus eius naturalibus, atque adeo illa reddere proportionata cuilibet premio etiam supernaturali.

Obiectio.

Dices opera naturalia non sunt ex speciali motione Spiritus sancti, nec referuntur ad finem supernaturalem.

Resp.

Resp. id in presenti non refertur propter rationem allatam, quia huiusmodi conditiones abunde suppleri possunt à conditione personae à qua proficiuntur, ita ut ex personae conditione abunde deinceps ordinari ad finem supernaturalem, quamvis per actum specialem ad eum non ordinantur.

Pura creatura cui mereri non potest per opus merè naturale.

Aliter se res habet in pura creatura, quae quantumvis iusta non potest mereri per opus merè naturale gloriam vel augmentum gratiae. Ratio diuersitatis est, quod dignitas personae in Christo se habeat antecedenter ad quolibet eius opera, & censetur in illa influere, & proinde infinite ea dignificare cuiuscumque sint conditionis in entitate physica: gratia vero iustificans in pura creatura non semper censetur antecedenter se habere ad opera auctorum, sed solum in operationibus sui ordinis, ad quas medijs habitibus virtutum, vel specialibus auxilijs censetur influere, & quidem iuxta proportionem influxus eorundem; ad bona opera merè naturalia censetur solum concomitantem se habere.

Gratia tantum habet se concomitantem ad opera naturalia purae creaturae.

DVBIUM II.

Vtrum reipsa fuerit in Christo gratia habitualis?

58.

Ex dictis superiori dubio videtur colligi non Negatiua fuisse; nam gratia habitualis datur ut si fuerit, mus consortes diuinæ naturae, ut 2. Petri ca. 2. et 1. pit. 1. ut simus sancti, & ut exerceamus opera commensurata gloriae caelesti, atque ex superiori dubio constat ea omnia conuenisse Christo eiusque humanitati, etiam praecisa omni gratia habituali.

Conf. gratia habitualis iustos reddit filios adoptiuos, quod nequit Christo conuenire, qui etiam quā homo est filius Dei naturalis, ut infra cum communi theologorum sententia dicemus, his tamen non obstantibus

59.

Communis theologorum sententia tradit animam Christi fuisse ornata gratia habituali.

Verior sententia affirmat. Prob. ex scriptis.

Prob. 1. ex scriptura Isa. 11. requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis. Ex quibus verbis doctores communiter censent in Christo fuisse dona Spiritus sancti, haec autem dona non solent dari sine gratia, videri possunt Cyrillus libr. 2. in Isaia in principio. Gregorius lib. 29. moralium cap. 19. Prob. 2. etiam solet ex pluribus scripturae locis, & inter alia ex cap. 1. Ioannis. Vidimus gloriam eius &c. plenam gratiae & veritatis. quamvis enim gratia eo loco sumi possit pro gratia increata, hoc sensus Verbum caro factum est plenum gratiae & veritatis, tamen plures tum scripturae interpretes, tum Doctores interpretantur de gratia habituali, & donis eam consequentibus.

Prob. 2. ex Patribus.

Probari etiam potest ex varijs Patribus, quorum sententia hunc sensum non incommode possunt recipere.

60. Prob. 3. ratione.

Prob. ratione, anima Christi iuxta communem theologorum sententiam est beata, Deumque clarè videt, estque conueniens ut eum amore proportionato visioni, id est supernaturali, dignetur decuit ut haberet gratiam, quae est quodammodo radix omnium perfectionum accidentium supernaturalium.

Gratia est radix omnium perfectionum supernaturalium. Confirm. 1.

Conf. 1. sanctitas quam contraxit anima Christi ex vnione ad Verbum, non repugnat sanctitati quam confert gratia habitualis neque illam excludit à subiecto alijs capaci; & de cetero congruit ut anima Christi summè Deo coniuncta per vnionem hypostaticam, & euecta ad summam dignitatem, ornetur donis supernaturalibus, quorum connaturale morale principium est gratia.

Conf. 2. maxime congruebat ut illa anima eliceret operationes in substantia supernaturales, idque per vim intrinsecam connaturalem & commensam huiusmodi actibus; ergo fuit conueniens ut esset praedita habitibus virtutum supernaturalium; ergo & gratia, quae vel non distinguitur à charitate, vel secundum naturalem statum, ei & ceteris virtutibus supernaturalibus praesupponitur.

Ex his patet gratiam habitalem non esse in Christo superfluum.

Patet

Pater etiam responsio ad argumentum initio dubij propositum: quamvis enim anima Christi abique gratia habituali esset sanctissima & posset mereri, fuit tamen conveniens illa ornatu, quia decebat illam animam elevari ad operationes supernaturales per principia particularia istis operationibus connaturalia. decebat etiam ut anima illa Deum clare videns haberet in se semen luminis gloriæ, quod est gratia, & ut in ordine supernaturali non esset minus ornata quam aliæ animæ; atque adeo ut esset confors diuinæ naturæ per ornamentum sibi inhærens.

Ad confirmationem Resp. rationem filiationis adoptivæ non ita consistari gratiam habitua-lem ut ab ea separari nequeat; nam, ut omittam quæstionem alibi tractari solitam, num repugnet de potentia Dei absoluta entitatem gratiæ habitualis posse consistere cum peccato, dico gratiam habitua-lem solum habere illum effectum quando persona est extranea, in qua non potest intineri altior ratio filiationis. Cum ergo in Christo persona non fuerit extranea, Christus ratione gratiæ habitualis non est constituendus filius adoptivus.

Petivero potest. 1. quàm certum sit gratiam habitua-lem fuisse in Christo? Suarez disp. 17. sect. 2. concl. 2. putat esse de fide.

Verum licet sit communis theologorum sententia certa, ut contrarium videatur temerarium, non tamen videtur dogma fidei, ut bene ostendit Vasquez disp. 41. cap. 1. quia scripturæ citari solite non incommode possunt intelligi vel de gratiæ vñionis, vel de vñione ratione divinitatis, vel de quibusdam donis actualibus. Patres etiam nunquam eam veritatem tradiderunt tamquam de fide. Adde quod inter se sint varij in explicando modo sanctitatis Christi, & non ita multi inveniuntur, qui explicantes scripturam censuerint animam Christi esse sanctam dono accidentali habituali.

Et quamvis putem esse de fide dari gratiam habitua-lem saltem in parvulis, & alijs qui per sacramenta iustificantur; inde non potest deducitur eam secundum fidem Christo esse concedendam: quia non est ea necessitas adstruendi gratiam habitua-lem in Christo, quæ est in parvulis iustis, qui saltem secundum legem ordinariam non possunt aliter esse iusti, quam per aliquid habituale sibi inhærens, quod de Christo dici nequit.

Adverte quod licet non sit de fide animam Christi habuisse gratiam habitua-lem, similiter non sit de fide determinatè fuisse sanctam per vñionem hypostaticam; sit tamen de fide fuisse sanctam alterutro modo in confuso, quia id saltem convincunt scripturæ & Patres agentes de Christi sanctitate.

Poti potest 2. an gratia habitualis in Christo sit eiusdem speciei cum gratia iustis collata?

Resp. esse, tum quia probabile est non posse dari distinctam speciem gratiam habitua-lem, tum quia gloria Christi est eiusdem speciei cum gloria sanctorum, tum quia Christus est nobis exemplar perfectissimum gratiæ, exemplar autem convenienter naturis rerum est eiusdem rationis cum ijs quorum est exemplar.

Neque admittenda est distinctio quam ponit Caiet. art. 11. §. ad hoc dicitur, & Medin. cit. ca. 9. quæstionis 2. concl. 1. & 2. scilicet gra-

tiam Christi & nostram consideratam secundum suam essentiam absolute esse eiusdem speciei consideratam verò secundum modum essendi ex parte subiecti, esse alterius rationis & essentia. ea inquam distinctio admittenda non est, cum ratio & essentia alicuius formæ non sit spectanda ex conditione, quam per accidens sortitur à subiecto cui inhæret, nam idem est calor speciei in igne, aëre, & aqua, etiamsi propter conditionem subiectorum non conferret ad produ-cendos similes effectus. neque intentum sufficienter probant argumenta quæ pro parte negativa adferuntur.

Poti potest 3. quandonam hæc gratia fuerit Christo concessa?

Resp. à primo conceptionis instanti, ut alibi ostendimus, tum quia moraliter debebatur animæ Christi ratione vñionis eiusdem cum Verbo, nec erat ratio differendi eius collationem; tum quia à primo conceptionis instanti Christus fuit comprehensor, tum quia idem primo conceptionis instanti elicit actus supernaturales, quos omnino decuit procedere à principio sibi connaturali intrinseco.

ARTICULVS II.

Vtrum in Christo fuerint virtutes?

RESPONDET affirmatiue, quia in Christo fuit gratia perfectissima, ergo & virtutes quæ profluunt ex gratia tamquam proprietates. quod intelligendum de morali quodam fluxu, cum virtutes non sint proprietates naturales gratiæ, quæ ab ea physice dimanant, sed morali modo eam consequantur, & secundum connaturalem ordinem rerum debentur subiecto prædito gratia iuxta statum ipsius subiecti: quod addo, eo quod lumen gloriæ non detur viatori.

Ex quo potest confirmari quod virtutes non dimanant physice à gratia; si enim physice dimanarent, ipsum lumen gloriæ etiam dimanaret, & proinde nisi Deus subtraheret suum concursum naturis rerum debitum, omnis iustus Deum videret, quod constat esse falsum. Vnde

Notandum S. Thom. non affirmare omnem planè virtutes in Christo reperiri, sed solum velles reperiri virtutes quæ nullam inuoluunt imperfectionem; & quidem intelligi de virtutibus supernaturalibus, quas supponit dari ut actus supernaturales procedant à principio connaturali creato: nam Verbum præcisè ratione suæ subsistentiæ non eleuauit potentias naturæ humanæ ad actus supernaturales exercendos. Cum ergo decuerit animam Christi roborari & eleuari ad similes actus, non minus quàm quemlibet alium iustum; sequitur virtutes supernaturales illi animæ infusas tamquam connaturalia principia actuum supernaturalium.

Fuerunt autem infusæ à principio conceptionis, ut colligi potest ex dictis dubio superiori, quia ab instanti conceptionis Christus elicit actus virtutum supernaturalium, charitatis in Deum, obedientiæ, &c. quos actus congruum fuit procedere à principio intrinseco connaturali creato permanente, & non solum ab auxilio actuali. Longè enim perfectius est operari ex tali principio intrinseco, quàm ex solo auxilio actuali.

Poti potest an ultra virtutes theologicas & morales

64.

Quæst. 3.
Resp.
Cōcessa est
Christo in
primo
instanti
concep-
tionis.

Resp. affir.

Virtutes
quomodo
profluunt
ex gra-
tia

65.

In Christo
tantum sunt
virtutes
quæ nul-
lam in-
uoluunt
imperfe-
ctionem.

66.

Fuerunt in-
fusæ à prin-
cipio Con-
cept.

67.

Dub.

Resp.

Anima
Christi se-
cundū prae-
sentem sta-
tum non in-
diger gratia
præuenienti
ad imple-
dam legem
naturæ.

Si non fuis-
set beata, a
liquo modo
indigisset
peculiari
assistencia.

Hæc tamē
fuisse illi
humanitati
debita ra-
tione vnio-
nis cū Ver-
bo.

68.

Affirmat.

Prob.

Virtutes
morales
fuerunt in
statu inno-
centiæ &
remanēt in
beatis.

Obiectio.

Resp.

actes supernaturales Christus indiguit spe-
cialibus gratiæ auxilijs ad implendam legem na-
turæ?

Resp. nos posse agere de anima Christi secun-
dum duplicem statum; vel enim possumus eam
considerare secundum statum in quo de facto est
creata, vel in alio statu in quo potuit vniri Verbo.
Secundum præsentem statum non indiget auxi-
lijs actualibus gratiæ præuenientis; nam cum sit
beata atque adeo ex viluminis gloriæ determi-
nata ad claram Dei visionem, ex qua sequitur per-
petuus amor Dei, & perfecta impeccabilitas, con-
sequens est eam non indiguisse alijs subsidijs
ad perfectè implendam legem naturæ; cum cla-
rè videns Deum determinetur ad illum aman-
dum, & reiiciendum quicquid villo modo Deo re-
pugnat. igitur ad hoc non est opus nouis auxilijs
præuenientibus.

Si verò illa anima non fuisset beata, aliquo
modo indigisset peculiari assistencia ad legem na-
turæ implendam; quia habitus supernaturales
non ita firmant voluntatem in bono, vel tollunt
omnem difficultatem occurrentem in exercitio
virtutum, vt sufficiant ad constantem obserua-
tionem præceptorum etiam naturalium; quod pa-
tet etiam in statu innocentie, in quo præter gra-
tiam habitualement & virtutes fuit opus peculiari
Dei assistencia, quæ pars inferior constanter sub-
deretur superiori, neque erumperet in motus ra-
tioni repugnantes; ergo consimilis assistencia
Christi humanitati necessaria fuisset, hæc tamen
assistencia fuisset illi humanitati debita ratione
vnionis eiusdem cum Verbo; nam ratione illius
vnionis fuisset radicaliter impeccabilis in quo-
cumque statu considerata.

Quærit etiam posset an in Christo fuerit virtus
penitentia? sed de eo commodius agitur q. 84.
art. 3. vbi ostenditur non videri eam virtutem ne-
gandam Christo. Restat itaque

D V B I V M

*Vtrum in Christo fuerint virtutes morales
naturales?*

Resp. breuiter fuisse, in quo video docto-
res penè conuenire. & quidem fuisse in gra-
du perfectissimo; quia illæ virtutes sunt maxima
perfectio naturæ, quam optimè disponunt ad ob-
eundas functiones sibi proportionatas; natura au-
tem in Christo debuit etiam in suo ordine perfe-
ctissime disponi, cum id illi moraliter deberetur ra-
tione vnionis cum Verbo.

Conf. ex eo quod communiter huiusmodi
virtutes dicantur fuisse in Adamo in statu inno-
centie, dicantur etiam remanere in beatis, non ob-
stantibus donis supernaturalibus. Præterea fuit
conueniens vt Christus per virtutem conatu-
ralem intrinsecam exerceret non solum actus
supernaturales, sed etiam naturales, vt seili-
cet eos in suo ordine perfectissimo modo obiret.
igitur huiusmodi virtutes non videntur Christo
negandæ.

Dices Christum non videri exercuisse actus
naturales, cum semper fuerit operatus modo per-
fectissimo.

Resp. neg. assumptum, quia modus perfe-
ctissimus quo Christus dicitur operatus non ita
intelligitur, quod ex solo habitu supernaturali ope-

ratus fuerit, cū habitus naturalis & supernaturalis
nullam inter se dicant repugnantiam, & potue-
rit simul actum vtriusque exercere; sed quod eli-
cuerit actus adequatos habitui: supernaturales
quidem habitui supernaturali, naturales verò ha-
bitui naturali.

Porro Christus habuit has virtutes in gradu
excellentissimo, quem secundum legem ordina-
riam habere poterant, habuitque per infusionem
primo conceptionis instanti, cum ei moraliter
deberentur ratione vnionis naturæ humanæ cum
Verbo; ita vt non deceret animam illius villo tem-
pore carere prædictis virtutibus, & procedere ab
imperfecto modo operandi, & paulatim perfici;
quod dicendum foret nisi primo instanti concep-
tionis fuissent infusæ, nam citra maximum mira-
culum, intellectus non potuisset omnium virtu-
tum obiecta cum omnibus circumstantijs simul
considerare, neque potuisset voluntas simul ferri
in illa omnia, id autem fuisset necessarium ad ac-
quirendum primo instanti perfectissimum habi-
tum per actus proprios.

Conf. consimiles virtutes fuerunt Adamo in-
fusæ ab initio creationis.

Dices: nobilior esse illas virtutes à se habere
quam ab alio, cum ergo potuerint per actus pro-
prios comparari, dicendum est Christum eas ita
comparasse.

Resp. antecedens esse verum cæteris paribus,
hic autem cætera non sunt paria, vt ex dictis pa-
tet. Adde quod nobilior sit res ab alio habere
per modum proprietatis sibi debita, quam pau-
latim per actus. Adde 2. quod licet anima habue-
rit ab alio, ipsam tamen suppositum eas à se ha-
buerit.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerit fides?

NEGAT, eo quod Christus à primo instan-
ti suæ conceptionis fuerit beatus & clarè
viderit diuinam essentiam; igitur non habuit fi-
dem, quæ saltem de lege ordinaria non consistit
cum clara visione eiusdem obiecti, iuxta id quod
dicitur ad Heb. 11. *Fides est argumentum non appa-
rentium.*

Ex his patet conclusionem S. Thom. pro-
priè intelligi respectu mysteriorum, quæ Chri-
stus clarè vidit: in quo sensu, est communis docto-
rum & certa.

An verò elicuerit aliquos actus fidei circa alia
obiecta, v. g. diem iudicii, &c. quæ cognouit per
revelationem; dependet ab ea questione 2. 2. agita-
ri solita, num euidencia in attestante repugnet fi-
dei; de qua ibi proprius est dicendi locus. si non
repugnet, quod variè non improbabiler sentiunt,
non videtur Christo negandus actus fidei circa ta-
lia obiecta, quamuis etiam eā sententiā positā
communiter negetur Christo habitus fidei, cum
circa primum obiectum non possit exercere fi-
dei actum.

Nec obstat quod in Christo ponantur virtutes
morales, quæ tamen fide sunt ignobiliores, quia li-
cet in sua entitate sint ignobiliores, tamen res-
pectu suæ materiæ non important defectum repu-
gnantem sublimiori virtuti, quem defectum fides
in suo ordine inuoluit.

Quærit verò potest an Christus fuerit præditus
virtute quæ in voluntate subferuit fidei?

Notan-

69.

Habuit has
virtutes
Christus in
gradu per-
fectissimo
Et quidem
primo in-
stanti concep-
tionis.

Replica.

Diluitur.

Resp. neg.

70.

Hæc.

71.

Si euidencia
in attestante
non repug-
net fidei,
non videtur
Christo ne-
gandus ac-
tus fidei
circa obiecta
secundaria.
Obiectum
occurrebat.

Notandum præter habitum fidei quæ est in intellectu, & qui immediate inclinatur ad assensum fidei, quod non est in voluntate habitum quendam à charitate distinctum, qui eandem voluntatem inclinatur ad imperandum fidei assensum.

Hunc habitum quidam ponunt in beatis & in Christo, etiam supposito quod habitus fidei in intellectu non remaneat in beatis, & supposito quod non eiciant actus fidei, quia talis habitus nullam dicit imperfectionem, & potest inclinare voluntatem ad imperandum assensum quasi conditionally, si non obstat evidentiæ obiecti. videtur potest Suarez hic in commentario.

Alij verus negant. Vaquez hic. Lorca disp. 8. num. 7. Ratio est quod talis habitus natura sua subiectus habitui fidei, eique subordinetur, unde si habitus fidei non remaneat, neque videtur prædictus habitus secundum naturalem rerum existentiam remanere. nam quando aliquid essentialiter ordinatur ad aliud tanquam præuium ad illud, non videtur ponendum quando terminus ponitur non debet.

Conferunt non videtur debere poni habitus in voluntate propter actus conditionatos, vellem credere nisi oblatet evidentiæ obiecti &c. patet in simili non ponitur habitus temperantiæ in angelo propter actus conditionatos, vellem temperate vivere, si esset capax materiæ temperantiæ. & in genere habitus tantum sunt ponendi iuxta naturalem rerum existentiam, quando subiectum potest elicere actus absolutos.

Ex his patet responsio ad ea quæ pro priori sententia adferuntur. dico enim habitum voluntatis involvere quandam imperfectionem, cum eandem imperfectionem aliquo modo connotet quam involuit habitus fidei residens in intellectu ad quem essentialiter ordinatur.

Dices S. Th. hic responsio ad 2. ait Christum habuisse meritum fidei.

Resp. non velle quod sit meritum per actus elictos ab illo habitu voluntatis qui à quibusdam ponitur, sed per actus obedientiæ se Patri in omnibus submittendo.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Christo fuerit spes?

RESPONDET 1. non fuisse spem respectu beatitudinis animæ, quia Christus ab initio conceptionis fuit beatus & Deum clarè vidit: ut autem dicitur ad Rom. 8. spes quæ videtur non est spes, (id est obiectum præsens non speratur) nam quod videtur quid speratur?

Respondet 2. Christum potuisse sperare beatitudinem corporis, quia illam in hac vita non habebat.

Notandum quod licet S. Th. videatur solum agere de actibus spei, tamen ipsum habitum spei negat Christo: quemadmodum 2. 2. q. 18. art. 2. negat beatis, & cum illo varij.

Alij tamen eum beatis alijs, tum Christo illum tribuunt, quod non est improbabile. tenet Suarez hic in commentario, Becanus de Incarnatione cap. 8. q. 8. num. 4. quia Christus & alijs beati eliciunt amorem, & quidem concupiscentiæ, respectu suæ beatitudinis, eamque amant amore supernaturali tanquam suum bonum, & gaudent de illa: cum & illi actus sint per se honestissimi, & nullam involvant imperfectionem statui beatitudinis repugnantem: tales actus supernaturales possunt pro-

cedere ab aliquo habitu supernaturali, à nullo autem alio, quam ab habitu spei.

Dices 1. à nullo habitu procedere, sed ab auxilio speciali. 2. si procedant ab habitu, procedere à charitate.

Ad prius Resp. id dici absque sufficienti fundamento, cum sit magis consentaneum actum supernaturalem procedere ab habitu supernaturali.

Ad aliud dico hos motus tendere in suum obiectum sub ratione formali spei: nam beati non solum ex motu charitatis possunt amare suam beatitudinem, sed etiam ex motu spei, quia scilicet est maximum illorum bonum. Cum ergo in tali actu inueniatur ratio formalis obiectiva spei (iuxta probabilem aliquorum sententiam quam 2. 2. quaest. 17. art. 5. secuti sumus) hic actus dicendus est procedere à virtute spei, non vero charitatis.

ARTICVLVS V.

Vtrum in Christo fuerint dona?

AFFIRMAT. patet Isaia 11. requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. qui locus à Patribus intelligitur de Christo.

Prob ratione, siue dona distinguantur à virtutibus, siue non, conceduntur ut homo promptè obediatur motioni Spiritus sancti, cuiusque ductum sequatur: Christus autem habuit potentias perfectissime dispositas ad omnem honestatem & motum Spiritus sancti suscipiendum.

Dices donum consilij videtur repugnare statui beatitudinis Christi, quia connotat vel saltem præsupponit dubium de rebus agendis; Christus autem perfectissime cognoscebat omnia cum omnibus circumstantijs, eaque perfectissime perpendebat.

Resp. negando antecedens, & dico de ratione consilij tantum esse iudicium de rebus agendis, quo vnum alteri præfertur, & ut tale offertur voluntati: quod etiam potest habere locum in beatis: unde nec necessario præsupponit dubium, nec illud connotat, licet in nobis illud communiter habeat coniunctum ex co additione status.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit donum timoris?

AFFIRMAT. patet ex loco Is. citato art. precedenti.

Notandum S. August. 14. de civitate Dei dupliciter ponere timorem in beatis 1. ratione præmij, quia ratione dicitur psalmo 9. patientia pauperum non peribit in finem. 2. ratione effectus, qui est arctissima cum Deo coniunctio: nam qui timuit in vita à Deo separari per culpam, eo arctius illi coniungitur in gloria: quæ coniunctio minus proprie dicitur timor.

Queritur ergo quomodo timor potuerit inueniri in Christo, cum timor respiciat malum?

Dicendum potuisse esse timorem quo Christi anima metuebat à Deo separari per culpam, non quod id absolute timeret, sed spectata naturæ conditione, nam hic timor etiam reperitur in beatis in illo co-

Obiectio duplex.

Resp. ad priorem.

Resp. ad posteriorem.

Resp. affir. Isaia 11.

Prob. ratio.

Obiectio.

77.

Solutio.

Etiam donum consilij est in beatis.

78.

Resp. affir. precedentij.

August.

Iul. 9.

Ratio dubitandi.

Solutio.

79.

Quomodo timor in beatis.

sistens quoddam beati considerantes se posse per peccatum à Deo separari quantum est ex naturae conditione, illud oderint & horreant.

Potuit 2. esse timor, si sumatur pro illo affectu reuerentiali, quo ex consideratione suae vilitatis & eminentiae alterius, aliquis refugit omnem cum alio comparationem, eumque reueretur, qui timor dicitur reuerentialis, estque actus religionis; de quo intelligitur illud Lucæ 5. *repleti sunt timore, dicentes quia vidimus mirabilia hodie.* Matth. 9. *videntes autem turba timuerunt & glorificauerunt Deum.* Hunc timorem sanctis Angelis tribuunt Dion. de celesti hierarchia cap. 13. Chrys. in explicatione visionis Isaie cap. 6.

Luc. 5.
Matth. 9.

Dionys.
Chrys.

ARTICVLVS VII.

Verum in Christo fuerint gratia gratis datae?

Resp. affir.
80.

Quid gratia gratis datae.

In Christo fuisse prob. 1.

In Christo fuit plenitudo gratiae, non tantum intensiue, sed etiam extensiue.

Prob. 2.

Ioan. 11.

Fides quid, prout est gratia gratis data. Hac non necessario procedit à fide theologica.

81.

Ioan. 6.

AFFIRMAT. ex eo quoddam Christus fuerit primus & principalis doctor fidei & doctrinae spiritualis.

Notandum gratias gratis datas vocari dona quaedam supernaturalia, quibus homo disponitur ut alios adducat ad cognitionem & cultum Dei, ita ut potius concedantur in gratiam aliorum, quam in propriam vtilitatem, possuntque in peccatoribus reperiri. Hæ gratia enumerantur ab Apostolo 1. ad Cor. 12. & S. Thom. 1. 2. quest. 3. art. 4. in corpore rationem sufficientiae assignat.

Huiusmodi gratias fuisse in Christo communis est scholasticorum sententia, quæ prob. 1. ratione S. Thomæ hic.

Conf. 1. in Christo fuit plenitudo gratiae non tantum intensiue, sed etiam extensiue; ergo habuit gratias quæ non repugnabant suo statui, vel fini redemptionis generis humani.

Conf. 2. omnia dona gratiarum in nos deriuantur per Christum; igitur decet in ipso reperiri, si eius statui non repugnent: gratia autem gratis data fuerunt in varijs, ut patet ex loco Apostoli citato.

Prob. 2. in Christo fuit assensus supernaturalis rerum diuinarum cum certa fiducia diuini auxilij ad miracula patranda, ut patet Ioannis 11. *ego sciebam quia semper me audis.* Vnde in eo fuit fides, prout dicit gratiam gratis datam, quia huiusmodi fides nihil est aliud quam assensus certus de rebus diuinis, adiunctam habens fiduciam, quod Deus aderit ad miracula patranda, vel ad ea concedenda quæ petuntur. Vnde fides quæ est gratia gratis data, non necessario procedit à fide theologica, nec in sua ratione inuoluit obscuritatem; ut proinde non debeat ex illis capitibus Christo negari.

Fuit etiam in Christo facultas explicandi ea, quæ ad fidem & ad mores pertinebant, ut patet ex varijs eius concionibus. Hinc Petrus Ioannis 6. dicit: *Domine ad quem ibimus? Verba vite æternæ habes.* Fuit etiam operatio virtutum & gratia sanctorum, ut patet ex varijs locis Euangelij. Fuit discretio spirituum, quia peruersas Pharisæorum cogitationes sæpè reuelauit. Fuerunt genera linguarum: nam qui nouerat cordium cogitationes, non poterat ignorare significationes vocum. Præterea huiusmodi gratiam linguarum Apostolis est elargitus.

Nec obstat quod forte varijs linguis non fuerit usus, quia nulla erat necessitas, cum semper apud unam gentem egerit. non est etiam improbabile, quod censent aliqui, priuatim varijs linguis vsum fuisse.

Probabile est Christum priuatim varijs linguis vsum fuisse.

ARTICVLVS VIII.

Verum in Christo fuerit prophetia?

82.

AFFIRMAT.

Notandum Abulensem in caput 11. Num. Resp. affir. q. 64. negare Christum verè fuisse prophetam, sed Abulensem solum vulgi opinione ita vocatum, eo quod nihil negauit Christum maius in illo agnosceret.

Sed sententia quam hic tradit S. Thom. est communis & tenenda, scilicet Christum, dum in terris versaretur, fuisse verè prophetam, quæ solet probari 1. ex scripturis Deuter. 18. *prophetam de gente tua ex fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Quem locum de Christo intelligunt S. Petrus Act. 3. & S. Stephanus Act. 7: Matth. 13. & Marci 6. Non est propheta sine honore nisi in patria sua.* Lucæ 24. *de Iesu Nazareno qui fuit vir propheta.* Quibus locis non à vulgo, sed à Moyse & discipulis, imò & à se vocatur propheta.

Verum quidem est locis citatis & alijs nomen propheta sumi posse non in vulgari significatione, sed ut idem significet quod virum eminentem sanctitate, doctrinâ & miraculis, aduertunt enim varij Doctores nomen propheta in scripturis multiplicem habere significationem, & inter cæteras interdum sumi pro homine sancto, Deo addito, & diuinam doctrinam profitente & docente, ut Genes. 20. & ut videtur Matth. 10. *qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetæ accipiet.* ita inquam sumi, quia propheta tales esse solebant. In hac significatione commode sumi potest nomen propheta locis citatis & similibus. nihilominus probabiliter etiam accipitur in communiori significatione, quia nihil absurdi sequitur si ita sumatur, ut ex dicendis patebit, & ea est magis germana significatio.

Prob. 2. ex Patribus: Iren. lib. 3. contra hæreses cap. 12. Aug. lib. 16. contra Faustum cap. 18. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 9. & alijs.

Prob. 3. Christo cum in hac vita versaretur, inerat vis prædicendi futura, & procul posita seu distantia à communi statu hominum cum quibus versabatur; id autem sufficit ad rationem Prophetiae; nam ut communiter notant Doctores, lumen Propheticum non necessario inuoluit obscuritatem, sed tantum statum viatoris; vnde licet clarè cognosceret ea quæ erant dissita quoad locum, quia tamen procul erant à statu eius in quantum erat viator, & à cognitione eorum cum quibus agebat, & quibus reuelabat, erat & poterat dici Propheta.

Dices 1. S. Ioannes Baptista dicitur plusquam Propheta Matth. 12.

Resp. S. Ioannem non esse dictum plusquam Prophetam quod verè Propheta non esset, sed quia longè excellentius Christum annuntiavit quam alij Prophetae: quem enim solum venturum prædixerunt, hic præsentem demonstrauit; vnde non sequitur quod Christus non fuerit Propheta.

Dices 2. 1. ad Cor. 13. dicitur, *Prophetia enacubuntur*, scilicet in beatitudine. cum ergo Christus à primo instanti suæ conceptionis fuerit beatus, non fuit Propheta etiam dum in terris versaretur.

Resp.

Resp. negando conseq. quia Christus ut dictum est, ita fuit beatus & comprehensor, ut simul esset victor dum in terris versaretur. Adde quod licet Prophetia in celo sint cessatura quoad actum predicandi futuramque quoad connotatum ipsum tamen donum Prophetiae non euacuabitur, quia nullam in sua substantia intulit obscuritatem, & potest esse cum lumine scientiae infusae. Consimiliter ratione quamvis usus variarum linguarum non sit in celo futurus necessarius; ipsa tamen cognitio non euacuabitur.

ARTICVLVS IX.

Virum in Christo fuerit plenitudo gratiae?

RESPONDET gratiam Christi fuisse summam tam intensiue, quam extensiue: id est fuisse perfectissimam iuxta diuinam dispositionem & mensuram, quā Deus decreuit eam alicui communicare; habuisse etiam omnes gratiae operationes & effectus.

Prior pars patet ex eo quod anima Christi fuerit perfectissime vnita ipsi fonti gratiae; ergo decuit illam habere gratiam perfectissimam & intensissimam. 2. gratia à Christo in alios deriuabatur, igitur decuit ut illam haberet in summo gradu, quem Deus decreuit concedere. 2. pars etiam patet eo quod Christus sit vniuersale principium gratiarum, igitur eius gratia debebat se extendere ad omnes gratias. Obiter

Aduerte ex dictis, quod præter plenitudinem gratiae creatae fuerit in Christo plenitudo diuinitatis, per quam eius anima fuit singulariter sanctificata, ut dictum est.

ARTICVLVS X.

Virum plenitudo gratiae fuerit propria Christo?

RESPONDET plenitudinem gratiae absolute soli Christo conuenire, quamvis aliqui sancti dicantur pleni gratia.

Notandum 1. plenitudinem gratiae varijs modis in scriptura quibusdam personis tribui. Nam aliqui dicuntur pleni gratia, quia habent excellentem gratiam congruam ministerio seu officio ad quod sunt electi. Quia ratione B. Virgo, S. Ioannes Baptista, Apostoli, S. Stephanus dicuntur pleni gratia vnusquisque iuxta proportionem sui ministerij. Alij dicuntur pleni gratia, quia habent gratiam abundantem ad vitam æternam consequendam. quia ratione Apostolus ad Eph. 3. precatur ut Ephesij implerentur in omnem plenitudinem Dei.

Anima verò Christi duobus modis potest specialiter dici plena gratia. Primo quia fuit vnita diuinitati, quā gratia non potest maior obtingere creaturae. Secundo quoad gratias creatas; habuit enim supremum gradum gratiae, quem Deus decreuit communicare creaturae, vnde habuit summam gratiam intensiue. Præterea habuit omnes effectus gratiae & operationes, siue omnē gratiam extensiue. Tertiò gratia in eo erat tanquam in capite & fonte seu principio à quo debebat in genus humanum dimanare. Vnde sit verisimile Christum dominum non solum singulos, sed etiam omnes in

vnū collectos superasse quoad gratiam etiam creatam, ita ut ipse solus habuerit excellentiorem gratiam quam omnes creature intellectuales simul sumptae. Erat enim vnigenitus Dei Filius, quā dignitas, cum longè superet dignitatem omnium creaturarum, fuit congruum ut eius animae concederetur gratia maxima, iuxta mensuram à Deo statutam.

Conf. 1. Christi humanitas fuit Deo charior quam tota vniuersitas creaturarum simul sumpta. Ergo decuit illam ornari donis excellentioribus quam concessa sint vniuersitati creaturarum simul sumptarum.

Conf. 2. Christus quā homo est principium omnium gratiarum in hominibus, est etiam caput Angelorum; ergo decuit illam habere ampliorem gratiam quam omnes simul habeant.

Notandum, 2. hanc gratiae plenitudinem concessam animae Christi ab initio conceptionis, cum illa dona deberentur ratione vnionis hypostaticae tanquam morales proprietates.

ARTICVLVS XI.

Virum Christi gratia sit infinita?

RESPONDET 1. gratiam vnionis esse infinitam, eo quod ipsa persona Verbi sit infinita.

Notandum, si D. Th. gratiam vnionis sumat pro persona Verbi, certum esse eam esse infinitam; si verò sumat pro modo vnionis, de quo egimus supra q. 2. eam non nisi terminatiue esse infinitam, cum modus vnionis non sit aliter dicendus infinitus, quam quod intimè respiciat terminum infinitum.

Respondet 2. gratiam habitualement in genere entis esse finitam, cum sit in anima Christi, quae est creatura habens capacitatem finitam. Quae ratio non nihil est difficilis, cum gratia non necessario debeat proportionari capacitati naturali animae, sed tanquam ordinis supernaturalis respiciatur ab anima secundum potentiam obedientialem, quae non habet terminum; nam potentia obedientialis animae respicit omne id quod non repugnat in ea constitui. Igitur nisi supponatur non posse dari gratiam infinitam, ex capacitate animae non videtur ita commodè concludi quod gratia habitus animae Christi sit finita in ratione entis.

Respondet 3. gratiam in ratione gratiae posse dici infinitam: quia non limitatur, sed habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae. In qua conclusione S. Doctor agit etiam de gratia habituali, vnde clare patet ex textu. quia verò non ita videtur clarum quo sensu vera sit hæc conclusio, varij varient mentem S. Thomae interpretantur.

Quidam enim Thomistae dicunt gratiam Christi esse infinitam in genere physico gratiae, seu gratiam in Christo fuisse physice infinitam.

Sed nisi sit æquiuocatio, vel questio de nomine, id non est solidum, quia gratiam esse physice infinitam, est esse infinitam in sua entitate physica, & per consequens in genere entis, quod negat S. Th. Cōseq. prob. ratio gratiae & entis in entitate physica gratiae solum distinguuntur ratione: si ergo vnū sit finitum, necesse est alterum quoque esse finitum. Præterea S. Th. 1. parte q. 7. negat omne genus infiniti in creaturis; igitur non potest hic censeri gratiam in genere physico gratiae esse infinitam.

Christi humanitas fuit Deo charior quam tota vniuersitas creaturarum.

Resp. 1.

88. Quo sensu gratia vnionis sit infinita.

Resp. 2.

Ratio D. Thom. apparet difficilis.

Resp. 3.

89.

Varie sententiae de mente S. Thom.

Gratia Christi non est physice infinita.

90.

Improbatur & explicatio Med. in.

Neque est infinita in ratione principij meriti.

Refellitur quorundam aliorum interpretatio.

91.

Explicatur tandem mensura D. Thom.

Conf. gratia solum duobus modis potest dici infinita in genere physico, scilicet intensiue vel in essentia; atqui Thomista non concedunt gratiam esse intensiue infinitam; & multo minus concedunt esse infinitam in essentia; ergo nulla ratione potest dici infinita in genere physico.

Alij censent esse infinitam in ratione gratiae, quia propter coniunctionem sui cum gratia vnionis hypostaticae crescit in infinitum in ratione principij meriti. Ita censet Med. in. art. praesenti q. de infinitate gratiae Christi concl. 4.

Sed neque id videtur verum: nam licet Christi operationes fuerint infinitae dignitatis; eam tamen dignitatem non sunt sortitae prout processerunt a gratia habituali, vt constat ex superioribus, sed prout processerunt a gratia infinita; gratia habituali solum concomitanter & per accidens se habente ad tantam operationum dignitatem.

Conf. licet anima Christi caruisset gratia habituali, adhuc Christi opera fuissent infinitae dignitatis; contra vero si natura humana non fuisset vnita Verbo cum eadem gratia quam de facto habuit (supposito quod ea fuerit finita in ratione entis) non potuisset infinite mereri, seu habere meritum infinitum; ergo signum est infinitum valorem operum Christi non posse refundi in gratiam eius habitualement tanquam in causam per se, & proinde proprie loquendo illam gratiam non posse dici infinitam in ratione gratiae, eo quod fuerit principium infiniti meriti, scilicet quae infiniti.

Addunt aliqui gratiam habitualement posse dici extensiue infinitam in ordine ad effectus, eo quod in Christo habeat rationem omnis gratiae, & sit principium omnium gratiarum in hominibus. Videri potest Med. supra.

Sed neque haec commode referuntur in gratiam habitualement tanquam in causam per se, cum varijs effectus supernaturales, quos Christus fuit operatus, non processerint a gratia habituali; vt miracula, praedictiones, &c. similiter cum Christus sit fons omnium gratiarum in genere humano quae homo-Deus & redemptor; id autem non habeat rationem gratiae habitualis. Igitur huiusmodi gratia per accidens etiam ad illa comparatur.

Videtur igitur dicendum quod S. Thom. nihil aliud velit quam, quod licet gratia Christi sit ens finitum, possit tamen dici quodammodo infinita, quia ordinatur ad vnionem infinitae perfectionis, eamque respicit tanquam moralis quaedam ipsius proprietates; quia nimirum ratione illius vnionis moralis quodam debito conceditur anima Christi quod in ipsa gratia tantum dicitur moralis conditionem, scilicet quod ea gratia respiciat terminum infinitae perfectionis, ratione cuius moraliter debetur anima & concedatur vt Christo vniversali gratia principio subseruiat, & ita suo modo habeat quicquid pertinet ad rationem gratiae: cum enim censetur proprietates vnionem subsequens, ratione sui principij censetur habere quicquid pertinet ad rationem gratiae, & materialiter concurrat ad operationes infinite dignas. His praemissis de mente S. Thomae, de re ipsa est controuersia. Itaque

DUBIVM

Vtrum gratia Christi sit intensiue infinita?

92.

AFFIRMAT Maior in 3. dist. 13. q. 3. quam sententiam probabilem censet Med. praesenti art. q. haec de re mota: censet inquam probabilem supposito quod Deus possit facere infinitum intensiue quo etiam supposito idem censet Suarez disp. 22. sect. 1. quia nulla gratia aptius responderet quam infinita, eaque moraliter debetur anima Christi propter vnionem suam ad Verbum.

Conf. si talis gratia dari possit similiter & gloria opera Christi sunt illi commensa.

Longe communissima sententia Theologorum negat cum S. Th. hic a qua, vt pote receptissima, vt non iudicem recedendum, ea tamen videtur satis difficulter probari posse, vt ex dicendis facile constabit.

Probari potest 1. ex Sapientia 11. omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Ex quo communis colligitur omne ens creatum esse finitum. Verum, licet propter auctoritatem huiusmodi collectio non sit probabilis, minus tamen est conformis scripturae; cum Sapiens ibi non agat de rerum productione, sed de vindicta peccatorum, & doceat quod licet Deo non defuerint innumerae rationes grauissimae puniendi inimicos filiorum Israel, tamen in ponendis moderationem seruauerit, disponens penas & vindictam de illis sumens in mensura, numero & pondere. Videri potest Lorrinus in illum locum.

2. Vasquez quamuis prima parte censet posse dari infinitum, hic tamen disp. 46. cap. 2. num. 7. probat gratiam in Christo non esse infinitam, eo quod nulla creatura ita possit reddi sancta per gratiam adoptionis, quin possit nouis bonis operibus magis iustificari & Deo placere, & proinde illi debeatur maior gratia habitualis, quod fieri non posset, si gratia esset infinita, cum vno infinito non datur alterum maius.

Verum haec ratio est insufficiens; quamuis enim concederetur totum quod assumit, non concluderetur gratiam in Christo esse finitam, sed solum id esse dicendum de pura creatura, quod ostenditur: Christus reipsa ex bonis operibus quae exercuit, non acquisiuit vllum gratiae augmentum, nec fuit Deo gravior: igitur ex argumento facto non apte concluditur gratiam habitualement in eo non fuisse infinitam, imo non potuisse esse.

3. Facile responderi potest negando assumptum, quia id solum verum est in gratia finita, nisi ergo ex alio capite ostendatur gratiam non posse esse infinitam secundum intensionem, ex hac ratiocinatione non apte ostenditur non posse esse infinitam etiam in pura creatura: cum enim gratia infinita redderet creaturam Deo infinite gratam, mirum non esset si ex bonis operibus ea non posset augeri, cum propter illa creatura non esset gravior.

4. Probari potest ex eo quod capacitas animae Christi sit finita.

Sed cum capacitas animae etiam Christi ad gratiam recipiendam sit tantum obedientialis, quae nullum habet terminum, minus solidum hinc ducitur argumentum ad probandum Christi gratiam non posse esse infinitam.

4. Aliqui afferunt quod nulla aliud ens creatum sit infinitum.

fit infinitum, & proinde nec debeat asseri gratia Christi infinita, ne statuat aliquid monstruosum, & excedens modum & ordinem rei creatæ. 2. quod sit connaturalis naturæ creatæ finitæ habere accedens finitum. 3. quod gratia detur animæ Christi ad ornam, ad quem finem non requiritur ut sit infinita.

Sed neque hæc multum vrgent: quia si gratia infinita sit possibilis, nihil monstruosum erit, si ea conferatur animæ Christi, cum nulla magis proportionetur vnioni hypostaticæ; & si illa anima consideretur ut iam eleuata ad esse diuinæ substantiæ; tam possit censerī illi connaturalis gratia infinitè intensā, imò magis quam finitā, ut facile patet ex dictis; ex quibus patet responsio ad id quod tertio loco ponitur. Quamuis enim gratia habitualis solum daretur animæ Christi ad ornam, & Deus non teneatur concedere infinitam, si tamen ea sit possibilis, potest censerī magis proportionata vnioni hypostaticæ, & proinde Deus conformiter exigentiæ vnionis debeat Christi animam ornare gratiā infinitā.

5. Probari potest ex eo quod in rebus creatis non possit dari infinitum. Verum id non est ita certum, cum varij existiment illud esse possibile.

6. Peculiariter dicitur quod repugnet gratiam habitualesse intensiue infinitam; quod dupliciter probatur theologicè à posteriori. 1. Si dari possit huiusmodi gratia non erit necessarium Deum hypostaticè vniri naturæ rationali creatæ ad perfectè satisfaciendum pro peccato generis humani, quod est contra Patres à nobis citatos q. 1. art. 2. dub. 2. sequela prob. gratia creata infinitè intensā potest esse principium meriti infiniti, & infinita satisfactionis, & per consequens correspondentis grauitati offensæ in Deum per peccatum commissū ex quo conficitur non esse opus vnione hypostaticā diuinæ personæ cum natura rationali creata ad redemptionem generis humani.

2. Si dari possit gratia habitualis infinitè intensā, poterit etiam dari lumen gloriæ infinitè intensum & visio beatifica infinitè intensā, & proinde comprehensua Dei; quod tamen repugnat. Sequela probatur, lumen gloriæ moraliter consequitur gratiam tanquam primariā eius proprietatem & primarius habitus eam consequens in suo statu naturali constitutam, & connaturaliter ei maxime proportionatur in intentione; vnde communiori sententiā in celo lumen gloriæ est equè intensum atque gratia; ergo si dari possit gratia infinitè intensā, potest dari lumen gloriæ infinitè intensum; si detur lumen gloriæ infinitè intensum, dabitur visio infinitè intensā.

Ad prius in hoc argumento positum Resp. negando sequelam. ad cuius probationem dico quod talis gratia posset quidem esse principium meriti infiniti quantum est ex se, sed illud meritum solum respicere gloriam tanquam premium & terminum, non verò reconciliationem peccatoris cum Deo; cum enim gratia habitualis & opus ex ea proveniens ex sua specie & naturali conditione sint tantum proportionata gloriæ, sequitur quod quantumcumque intendatur non extrahantur ab illo ordine, nec referantur ad aliud tanquam ad premium. videri possunt dicta dubio citato.

Ut respondeatur ad posterius, supponendum Deum à nullo beato reipsa comprehendi, imo nec posse comprehendi etiam ab anima Christi, ut passim tradunt Theologi, partim 1. parte q. 12. art.

7. partim hac parte q. 10. art. 1. quod videtur definitum in Concilio Lateranensi, & habetur capitulo Firmiter de summa Trinitate, vbi dicitur; *firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, immensus & incommutabilis, incomprehensibilis.* Quæ definitio absolute intelligitur etiam de potentia absoluta, & respectu cuiuscumque creaturæ, & per consequens etiam respectu animæ Christi. hoc supposito

Respondent aliqui etiam dato lumine infinito non sequi Deum posse comprehendi duplici ex causa. 1. quia etiam dato lumine infinito non sequitur visio infinita seu infinitè intensā, quia ad visionem beatificam debet etiam concurrere intellectus creatus, qui non est capax actionis infinitæ.

Sed id videtur minus probabiliter dictum; si enim dari possit infinitum, cur intellectus non poterit per potentiam obedientialem ad illud concurrere? præsertim quando potest concurrere ad ipsam actus speciem, & quare Deus minus potest eundem intellectum eleuare per lumen infinitum ad visionem infinitam eliciendam, quam simpliciter ad eliciendam visionem? Adde quod cum ipsum lumen sit virtus ex naturā suā ordinata ad producendam cum intellectu visum beatificam, dicendum sit non esse possibile lumen infinitum, si non possit produci visio infinitè intensā; vel talem actionem poni posse, si possit dari lumen infinitè intensum.

Respondent 2. quod licet dari posset visio infinitè intensā, non idcirco Deus comprehenderetur, quia per huiusmodi visionem Deus non cognosceretur tam perfectè quam est cognoscibilis, seu huiusmodi cognitio in ratione cognitionis non adæquaret cognoscibilitatem Dei ex parte obiecti, quia infinitud. gratiæ, luminis & visionis beatificæ solum esset secundum quid, non autem simpliciter in genere entis.

Qui discursus indicat ad comprehensionem Dei requiri cognitionem essentialiter infinitam; quod tamen videtur difficulter probari, quia cognitio etiam comprehensua non requirit æqualem perfectionem in ratione entis cum re comprehensa, ut patet in notitiā supremi Angeli, quæ cum sit accidens & quidem naturale, minoris est perfectionis quam infimus Angelus, quem tamen supremus Angelus potest quoad naturalia comprehendere. Conf. per clarā visionem infinitè intensam Deus videtur ita posse cognosci ut non solum nihil quoad rem lateat, sed etiam quoad adæquationem. igitur poterit comprehendi. His non obstantibus

Responsio videtur valde probabilis, scilicet quod Deus simpliciter & in genere entis omnino infinitus & summa essentia, postulet xpm in cognoscendo essentialiter infinitam ad hoc ut comprehendatur, & quod nulla alia notitia possit in penetrando adæquare eius cognoscibilitatem.

Ad ea quæ in contrarium asseruntur Resp. licet in genere non requiratur ut comprehensio sit æqualis perfectionis in ratione entis cum re comprehensa; in Deo tamen ex consequenti requiri, cum non possit dari cognitio essentialiter infinita, quæ non sit Deus.

Ad confirmationem Resp. negādo assumptum: quia quantumcumque Deus perfectè videatur à creatura cognosci, remanet in infinitū magis cognoscibilis, utpote essentialiter infinitè perfectus.

Ex his & similibus patet, ut dixi, communem senten-

Con. Later.

98.

Ad posterius respō-
sio aliquo-
rum,

Sed minus
probabilis.

Dato lumi-
ne infinito,
dabitur &
visio infinita.

99.

Eorundem
altera res-
ponso.

Videtur nō
satisfacere.

Defenditur
tamen ut
probabilis.

Non com-
prehenditur
Deus, nisi
visione es-
sentialiter
infinita.

100.

sententiam non ita facile probari, à qua tamen non iudico recedendum, quia saltem aliqua argumenta probabiliter eam suadent, & pro alia parte nihil potest afferri quod non possit commodè solui. & cum Deus iuxta communem sensum Patrum decreuerit omnia creare in mensura, numero & pondere, quidquid sit de ea questione, an dari possit infinitum in rebus creatis.

Obiectio Obijcies tamen quod gratia Christi videatur esse infinita ex illo Ioannis 3. *Non enim ad mensuram dedit Deus spiritum*, quo videtur significari Deum Patrem dedisse Filio gratiam infinitam.

Solutio S. Th. responsione ad 1. tres adhibet solutiones, quæ doctrinam quidem veram continent non tamen videntur conformes textui; vnde illis omis-
Obiectio **Aliter respondetur.**

Resp. nihil ex prædicto loco posse colligi, quia sensus illius sententiæ est, quod Deus nobis dedit Filium suum & proinde non dedit nobis gratiam limitatam. Videri potest Toletus in hunc locum.

ARTICVLVS XII.

Virum gratia Christi potuerit augeri?

101. **S**UPPONIT gratiam habituales in Christo esse finitam; quo posito, ratio dubitandi est quod videatur Christum potuisse recipere gratiæ augmentum, cum neque ex parte ipsius formæ, neque ex parte subiecti quidquam videatur ob-
Obiectio **Aliter respondetur.**

Resp. neg. Respondet tamen quod ea non potuerit augeri, quam doctrinam videtur intelligere de lege ordinaria; & ita intellecta est communis Theolo-
Hieron. **August.** **Damasc.**

rum, quam etiam tradunt Patres, Hieron. in caput 31. Ierem. in illa verba, *semina circumdabit virum*. August. 15. de Trinitate cap. 26. Damasc. lib. 3. de fide cap. 22.
Cur gratia Christi augeri non potuerit.

Probat duabus rationibus. Prior petitur ex fine ad quem gratia ordinatur; gratia habitualis in Christo ordinatur ad vnionem cum Deo in vnitate personæ. Scilicet est ornamentum moraliter consequens ipsam vnionem humanitatis cum Verbo, quæ vnione nulla potest esse sublimior inter creatas, & proinde decebat animam Christi habere summam gratiam quam Deus vnquam dare decreuerit, idque à primo conceptionis instanti, vt aliquoties in superioribus dictum est, igitur progressu temporis non creuit habitus gratiæ.

Conf. non est vlla repugnantia ob quam ab initio conceptionis non potuerit habere summam gratiæ quam Deus dare decreuerit; & de cætero est conformius quod habuerit, cum proprietates conferantur rebus statim in ortu suo, nisi quid ob-
102.

stet.
2. Ratio petitur ex parte status Christi: Christus à primo conceptionis instanti fuit beatus, & respectu gloriæ animæ fuit in termino; gratia autem in beatis non solet augeri.
Quo scilicet Christus fuisse sapientia & aitate & gratia apud Deum & homines; quia Euangelista non vult profecisse quantum ad augmentum ipsorum habituum, sed solum quoad vsum & exercitium; & quod progressu temporis perfectiora sapientiæ & gratiæ opera (scilicet quoad substantiam ipsorum operum) exercuerit, non tantum in hominum opinione, sed etiam re ipsa & coram Deo, qui vir existens eminentiora opera edidit quam pueri; & ita quoad ip-

so actus verè profecit coram Deo, quamuis ipsi habitus ratione operum nullum susceperint incrementum. Videri potest Damasc. supra.

Petes an per potentiam Dei absolutam gratia & virtutes in Christo augeri non possint? Magna est hac in re sententiarum diuersitas, vt videre est apud Vasquez disp. 47. cap. 2. Sed

Resp. breuiter posse, vt communius docent recentiores, quia gratia finita non potest exhaurire infinitam Dei potentiam, & proinde Deus potest producere gratiam in infinitum perfectiorem & perfectiorem. capacitas etiam animæ Christi quæ est obediens potest in infinitum excurrere, & per consequens nec est repugnantia ex parte ipsius gratiæ, nec ex parte subiecti quod minus gratia habitualis in Christo de potentia absoluta possit augeri. Quod non obscure docet S. Th. hic responsione ad 2.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad vnionem?

RESPONDET vnionem hypostaticam naturæ & intellectu esse priorem; vnde gratia habitualis non est dispositio præuia seu preparans ad vnionem naturæ humanæ cum Verbo, sed naturæ subsequens tanquam ornans, & proprietas moraliter debita animæ ratione vnionis. Ratio est quod humanitas ordine naturæ prius subsistat, quam habeat gratiam. De materia huius articuli videri possunt dicta q. 2. art. 7. dub. 2. & art. 10.

QVÆSTIO VIII.

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ.

ARTICVLVS I.

Virum Christus sit caput Ecclesiæ?

RESPONDET affirmatiue, quod est de fide; traditum ab Apostolo ad Ephes. 1. dicente, & ipsum deit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. cap. 5. vir est caput mulieris sicut Christus est caput Ecclesiæ.

Porro vt tradit S. Thom. in corpore, hac metaphorica acceptio capitis triplici de causa tribuitur Christo per analogiam ad caput naturale. 1. in capite naturali potest considerari ordo dignitatis, quod scilicet inter omnia membra dignissimum locum occupet in suprema hominis parte. 2. perfectio, quia in eo vigent omnes sensus interiores & exteriores, quod in nullo aliorum membrorum reperitur. 3. potest considerari virtus, quoniam à capite est omnis motus & gubernatio aliorum membrorum, illa enim influxum recipiunt à capite.

Hæc omnia optimè tribuuntur Christo respectu Ecclesiæ, quæ est corpus quoddam mysticum vt patet ex sententijs Apostoli citatis, & ex cap. 4. eiusdem epistolæ; nam Christus primum locum & excellentissimum obtinet sicut rex in regno. In eo etiam est plenitudo gratiæ tam intensiue quam extensiue, & ab eo omnis virtus spiritalis in ho-